

6

SPICILEGIUM

Sivè
Concissima delibatio Jurium

De servitutibus Personalibus

Præcipuè de usufructu

Quam

Sub Gloriosissimis auspiciis

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI DOMINI,

D. JOANNIS WILHELMI

COMITIS PALATINI RHENI,

S. R. I. ARCHI DAPIFERI ET ELECTORIS

Bavariæ, Juliæ, Cliviæ, ac Montium Ducis,

Principis Mœrsiæ, Comitis Veldentiæ, Sponhemii, Marchiæ,

Ravensburgi, Domini in Ravenstein, &c. &c.

PRINCIPIS AC DOMINI CLEMENTISSIMI,

Assistente

LUDOLPHO HENRICO HAKE J.U.D.

Phrontisterii Privato - Juridici, ex Clemen-

tissima Electorali Licentia, Dictatore,

Exercitatoria Dissertationi proposuere

PRÆNOBILES, NOBILES, ac PERERUDITI FORUM

SECTATORES

PHILIPPUS WILHELMUS

FRANCKEN *Monjorio - Jul.*

HILDEBRANDUS MAT-

THIAS BECKER *Dusselanus.*

JOANNES HERMANNUS

RODORPHI *ex Honneff.*

JOANNES WILHELMUS

FERDINANDUS CREME-

RIUS *Boslaro - Juliac.*

DUSSELDORPII,

Die 4^{ta} Mens. Julii Ann. 1714. ab horâ nona matutina
usque ad undecimam, & à secunda pomeridiana usque ad quartam.

Typis TILMANNI LIBORII, Stahl.

SERENISSIME AC POTENTISSIME PRINCEPS
ELECTOR DOMINE CLEMENTISSIME.



Non erat magnopere deliberandum, ad cuius potissimum pedes *Spicilegium hocce nostrum juridicum, de Servitutibus personalibus*, veluti demississimæ venerationis & subjectionis Mnemosynon deponeremus. Quis enim est? qui ambigeret, *hunc partem primum* illi deberi, cui debentur omnium subditorum rerum quarumcunque primitiæ. Quo nonnihil maturius præponderato: cò confidentius Augustissimo *Serenitatis Tue Electoralis* Nomini theses hæc nostras primas consecrare, & cernuo poplite præsentare non sumus verecundati. Non inficiamur equidem illas tanti Nominis Gloriâ indignissimas esse. Verùm cum ea sit *Serenitatis Tue Electoralis* cum penes aditas, tum diffitas nationes celebrata & depredicata Benignitas ac Clementia, ut quantumvis Levi penicillo adornatos Labores, nullius etiam penè commatis monumenta præsentata, dummodo ex iisdem debita & Humillima Subjectio & Observantia dignosci potest, Serenissimâ ac Clementissimâ fronte respiciat ac suscipiat; Spe Lactamur maximâ & haud inani: *Eadem Serenitas Tua Electoralis* Exiles hæc conscriptas pagellas, utpote in consimilis & maximè à Nobis debitæ subjectionis tesseram oblatas, Benignissimo & gratiosissimo vultu quoque intuebitur. Et ex quo nullum alium in finem, quam præmemoratum, res hæc à Nobis

Nobis intentatà: Simulac ut theses hæ *Serenitati Tuæ Electorali* sacratæ sub Excelsissimo *Ejusdem* Nominis Clypeo, summoque patrocinio, ab invidorum morsibus, calumniisque tutæ con- quiescant: Vix & bivii hæreamus, ex hacce disquisitione Exer- citatoria sub *Serenitatis Tuæ Electoralis* Auspiciis inauspicata, plu- ribusque subsequens ab aliis, fors & Capacioribus, resu- mendis, Studii privato-juridici hic loci recenter reinchoati post- hac, & quidem majus & majus incrementum adici posse; cò- minus *Serenitatem Tuam Electoralem* propositum nostrum asper- naturam confidimus. Imò hoc futurum seriò putamus; & in- contrà non modò apud seram posteritatem, uti absque eo tene- mur, Clementiam hanc & Benignitatem tuam Electoralem Pa- trociniumque tam grande in æviternum deprædicabimus: Sed & virium nostrarum nervos cò intendemus, ut *Eadem Serenitas Tuæ Electoralis* re ipsâ intelligat, Nobis tuis, quotquot sumus, subjunctissimis subditis ingentissimam impertitam esse gratiam, Di- vinam summi JEHOVÆ Clementiam quam ardentissimè unà exorabimus, *Serenitatem Tuam Electoralem* in perpetua & floren- tissima felicitate, felicissimoque Regimine, ad subditorum salu- tem & solatium, quam diutissimè salvam & incolumen conser- vare dignetur.

SERENITATIS TUÆ ELECTORALIS

Subditi & Vernæ
devinctissimi & submississimi
defendentes præscripti.

PROLOGIUM

Ad Argumentantem.



Hoc erat in Votis, Oppugnator dexterrime, non ut tibi theses simpliciter, subnexâ tali quali Exegesi, remissivâ ad fontes undè, elaboratæ obtruderentur: Verum major contradicendi substerneretur campus. Miraberis, hoc à Nobis non esse actum, aut confidas, idcirco factum, nè in prolixitate videremur velle aucupari gloriam. Mentem theses perlegendo, abundè cognosces, quo vergere velimus. Si quid rectius istis noveris, oppones; Oppositum resumemus gratum, & de meliori edocti; simul ac victi, habebimus ratum. Undè non est, quod studeas, ob exercitium inauspicatum, nos in vidè admordere. Laudabis potius conatum, quandoquidem alium in finem nihil hisce typis datum, quam ut quisque nostrum se per te de eo Exercitatum resentiscere queat. Contra si feceris, Zoilique turbam secutus fueris; non dedignaberis te Commonefieri quod nosmetipsos consolemur de eo, quod Terentius de tali scribit turba: *Nisi quod ipsa fecit, nihil rectum putat.* Vix verò in taliusmodi fugillationem traheris, quam maximè si unâ adverteris, non nos inficiari, nos adhuc Hederâ egere. Igitur vale nec exercitium propositum aspernare. Simul & Sphalmata typographica pro dexteritate corrige.



SPICA I.

Ususfructus, Usus, habitatio, & operæ
Servorum, non merè (a) personalis servitutis, sed
quatenus Res (b) servit personæ, præcipuæ (c)
sunt species.

- (a) *De qua tot. tit. instit. de jure Person. L. 4. § 5. ff. de stat. Hom.* (b) Müller. ad Struv. in *Synt. J. C. Exercit. 12. th. 1. t. t. inst. Cod. § t. lib. 7. ff. de usufr.* (c) Accensentur iis & aliæ, ut cænare in alieno &c. Frider. Gottl. Struv. in *Sylog. controv. J. C. ad lib. 8. ff. tit. 1. q. 1.*

SPICA II.

Quin ex servitutibus prædialibus fieri & possint perso-
nales, non tamen vice versâ (a) caret dubio. Re-
ales autem factæ personales omnimodò (b) induunt natu-
ram servitutum personalium.

- (a) *L. 6. ff. de servit leg. Bôckelman in Comp. inst. tit. de usufr. n. 1. Harp. cod. ad pr. Bachov. ad Wessenb. n. 3. ff. de servit. R. P. Hillig. in Donell. Eunclat. lib. 10. cap. 1. ad lit. A.*
(b) *Arg. l. 25. ff. de usu & habit. c. 7. de R. J. in 6. Coras. ad leg. 1. ff. de servit. n. 123. § seq.*

SPICA III.

Definitur (a) Ususfructus jus (b) Rebus alienis (c)
Utendi fruendi (d) salvâ rerum substantia, (e)

- (a) *Concordat Gûlich und Berg. R. Ordn. cap. 95. §. und nachdem/ 2c.* (b) *Cum justo Sinolt sive Schütz Exercit. jur.*
B ad

ad instit. disp. 6. Th. 14. Befold. in delib. jur. ex lib. 7. ff. n. 2. *Et* tr. de tut. *Et* curat. cap. 1. n. 1. Zoës. ff. de usufr. n. 4. Dissent. Forster. lib. 2. disp. 8. th. 1. Obstrepti l. 5. ff. de usufr. l. 1. §. 9. ff. ad Leg. Falcid. R. Harp. pr. inst. de usufr. n. 10. cum ibi citat. Frid. Gott. Struv. in Syll. contro. J. C. ad lib. 7. ff. t. 1. q. 5. (c) L. 5. ff. si usufr. pet. Schneidew. pr. instit. de usufr. n. 7. Concord. d. Ord. Jul. *Et* Mont. d. l. (d) Videtis Schambog. pr. inst. de usufr. conjunctionis verborum Æthiologia patescit ex l. 14. §. 1. ff. de usufr. *Et* habit. Videatur & Bronchorst. cent. 1. assertt. 88. Harp. di loc. n. 14. *Et* seqq. (e) d. pr. inst. de usufr. ubi & ratio, & l. 1. ff. cod.

SPICA IV.

Non est consentiens interpretum Vox: Utrum præmissa Ususfructus definitio soli usufructui conveniat? quod tamen audacter asseritur. (a)

(a) Refragatur: quod Vasalli &c. utantur fruantur quoque re aliena &c. R. Chlingensp. in Apotel. ad lib. 2. inst. tit. de usufr. q. 4. Harp. pr. inst. cod. n. 16. *Et* seqq. qui pulchrè *Et* ad alia.

SPICA V.

Rectè Ususfructus in proprium sive verum, & improprium sive quasi dispescitur (a)

(a) Partitionem hanc in jure esse fundatam dicimus per §. 2. inst. de usufr. *Et* l. 2. §. 1. ff. cod. Secus eam, quæ vel causalis, vel formalis, ut infiniti propè tenent, quos magna ex parte videre licet, apud Harp. pr. inst. n. 22. & ex parte admittit Zoës. ff. de usufr. n. 6. Facescit negotium, l. 4. ff. de usufr. Cui tamen è Diametro contrariatur l. 25. ff. de V.S. Videtis Bachov. ad Treutl. vol. 1. disp. 16. th. 1. lit. G. Arumæ, Exercit. 5. th. 16. Bronchorst. Cent. 1. assert. 86. Pichard. pr. inst. de usufr. n. 16. fuscè hac de re discurrentes.

SPICA VI.

Proprius Ususfructus constituitur in rebus, quæ usu non (a) dispereunt; sive sint mobiles, (b) sive immobiles, (c) sive corporales sive incorporales. (d)

(a) 1.

(a) t. t. ff. Cod. & Inst. de usufr. Zoës. ff. de usufr. ear. rer. & c. Struv. in Synt. J. C. Exercit. 12. th. 36. (b) L. 3. §. 1. l. 41. ff. de usufr. relege Chlingensp. in Apot. ad lib. 2. inst. de usufr. q. 7. Schneidew. §. 2. inst. cod. tit. n. 3. Hopp. in Comment. inst. d. t. de usufr. ad pr. verb. salva rerum & c. (c) L. 7. ff. cod. Dd. omnes. (d) Schambog. ad d. §. 2. inst. d. t. de usufr. Hopp. d. l. *Spica yma*

ET quidem verus usufructus non duntaxat super parte (a) bonorum, verum etiam super omnibus (b) bonis potest constitui.

S P I C A VII.

(a) Specialiter non facta mentione partis, dimidia intelligitur l. 43. ff. de usufr. l. 164. §. 1. ff. de V. S. (b) Etiam acquirendis Struv. in Synt. J. C. Exerc. 12. th. 8. si uxori taliter relictus, legitima liberis manet salva, Nov. 18. c. 3. Vinn. Select. 9. lib. 1. cap. 22. Köppen in usupraet. inst. obs. 120. cap. 3. Carpz. p. 3. c. 12. d. 7. vel quid alius ejus loco dari, prolixè Gail. lib. 2. obs. 144. n. 1. & sqq. per jura & author. ibi. Huc confer. Ord. Jul. & Mont. cap. 95. §. Da aber / item Erzh. Stiff. Colln. R. D. tit. 8. §. 6. Si simul extranei instituti hæredes usufructus æstimationem dodrantis non excedit l. 29. ff. de usufr. l. 1. §. si usufruct. ad Leg. Falc. Müller ad Struv. in Synt. Jur. Civ. d. l. Hodie hæc detractio prohiberi potest. Nov. 1. cap. 2. §. si verò. Zoës, ff. de usufr. n. 10.

S P I C A VIII.

Usufructus improprius in rebus consumptibilibus tantum (a) constituitur.

(a) t. t. ff. de usufr. ear. rer. & c. quibus proxima est pecunia numerata, §. 2. inst. de usufr. Schneidew. ad eud. n. 4. Chlingensp. in Apot. ad Lib. 2. inst. de usufr. q. 7.

S P I C A IX.

Utrum vestimentorum verus vel quasi detur usufructus, problema (a) est.

(a) ex §. 2. *inst. de usufr. est quasi, ex l. 15. §. 1. ff. cod. eruitur verus. Non impingunt, qui distinguunt, licet varii variè. Undè vide Struv. in Synt. J. C. exerc. 12. th. 39. Sam. Stryck. ad Lauterb. Comp. ff. de usufr. ear. rer. §. c. verb. Vestimentorum. Wurmser. Nucl. Jur. Controv. tit. de usufr. controuv. 4. Bocer. ad d. §. 2. *inst. de usufr. n. 5. §. seqq.**

S P I C A X.

Separationem à proprietate Ususfructus proprius recipit per ultimam voluntatem (a) & per Actus inter vivos (b) à Domino (c)

(a) §. 1. *inst. de usufr. §. simil.* Müller ad Struv. in Synt. J. C. Exercit. 12. th. 9. Mynling, Schneidw. Hopp. & alii ad d. §. 1. Dummodo deductio expressè fiat. L. 19. ff. de usufr. leg. Fachin. lib. 5. Controv. cap. 44. Carpz. p. 3. c. 13. d. 7. Struv. & adeund. d. Müll. d. l. th. 10. §. 11. Harp. ad d. §. 1. *inst. n. 1. §. seqq.* penes quos, quæstiones, decisiones, objectiones, & resolutiones. unde remissivè. (b) d. §. 1. n. 6. quem & relegas ad §. *ideo autem 2. n. 32. inst. d. S. P. §. ad §. 3. inst. de lobat. §. cond. n. 370. §. seqq.* Non minus Vasallo Rittershuf. *par. feud. lib. 2. n. 12. Hartm. obs. 28. n. 5. Dis. Fr. Curtius. p. 4. de feud. in ult. caus. amiss. feud. q. 15. Rosenth. de feud. cap. 9. concl. 12. §. plur. al.*

S P I C A XI.

EX singulari Legis dispositione quoq; defertur ususfructus (a) uti etiam ex officio judicis (b)

(a) Sic Patri in bonis adventitiis Filii fam. L. 6. *cod. de bon. qualib.* Carpz. p. 2. c. 10. d. 13. non tamen in irregularibus Müller. ad Struv. in Synt. J. C. Exercit. 12. th. 5. exactè per jura & Dd. *ibid.* Confer. Göllich, und Berg. R. Ordn. Item Erty, Stiff, Eölln. R. D. tit. 8. (b) In judiciis divisiivis Wesenb. in *comm. C. de usufr. n. 23. Hahn. de usufr. th. 34.*

SPICA XII.

Denique aquiritur ususfructus & praescriptione (a) & jure accrescendi (b)

(a) Longi *l. fin. cod. de praeser. long. temp. cum titulo habili* Lauterb. *Exercit. 17. concl. for. arg. d. l. fin.* Joann. del. Castillotr. *de usufr. cap. 68. n. 17.* adde Frid. Gottl. Struv. *in Syllog. Controv. J. C. ad lib. 7. ff. tit. 1. q. 3.* Et longissimi temporis *L. nec petentem cod. d. t. de praeser. long. temp. junctâ l. 8. cod. de praescript. 30. vel 40. ann.* Estò solus error causam possessioni praestiterit. *d. Struv. cit. loc.* qui & ad contraria respondet. (b) inter quocunq; modo conjunctos cum Adam. Struv. *in Synt. J. C. Exercit. 12. th. 28.* Diss. Hunn. *tr. de usufr. p. 1. c. 7. sect. 1.* Zoëf. *ff. de jur. accrescend. pervolvatur interim* Müller. *ad d. Adam. Struv. d. l. rationabiliter discurrens.* ubi & reperiuntur singularia.

SPICA XIII.

Ususfructus improprius iisdem, quibus verus, constituitur modis (a)

(a) Ita loquitur Struv. *in Synt. J. C. Exercit. 12. th. 38.* Saltem per ultimam voluntatem *l. 1. 2. 3. 8. ff. de usufr. l. 1. Cod. eod.* & conventionem *arg. §. 1. inst. eod.* Dissentit quo ad posterius Schambog. *per d. l. 1. ff. de usufr. ex alios textus.* Cui autem obviat non sine æthiologia Müller. *ad cit. Struv. d. l. cum citatis.* Nos defensamus integram thesin, etiam quoad alios modos.

SPICA XIV.

Constituto Usufructu competit Usufructuario actio confessoria contra quemcunque possessorem, aut qualibet ratione impediens. (a)

(a) *t. t. ff. si usufr. pet.* Zoëf. *d. t. n. 2.* Oldend. *Class. 3. Act. 4. in pr.* Struv. *in Synt. J. C. Exercit. 12. th. 45.* quem vide *per jura ibid.*

SPICA XV.

Ex petito Usufructu à fructuario, is fructus non percipit, priusquam caverit. (a)

C

(a) Et

(a) Et quidem quocumque modo sit constitutus *t. t. ff. usufr. quemadm. Carv.* Excepto patre in bonis adventitiis filior, *l. ult. §. 4. l. 6. §. 2. Cod. de bon. qualiber.* Regulariter: Fabric, ad *Myns. cent. 2. obs. 93.* Confer. *Gül. und Berg. R. D. cap. 95. §. Die Eltern. juncto §. im Fall.* Non minus excepto donatore omnium bonorum *Gail. 2. obs. 145. n. 14.* *Bachov. ad Treutl. vol. 1. disp. 16. th. 6. Lit. A.* Item *Fisco Stryck. ad Comp. Lauterbach. ad ff. usufr. quemadm. carv.* De pluribus aliis videbis *Müller. ad Struvium in Synt. J. C. Exercit. 12. th. 64. satis exacte.*

SPICA XVI.

Cautio ab usufructuario præstanda debet esse idonea. (a)

(a) Quæ fit per fideiussores, *L. si cuius 13. in pr. ff. de usufr. l. 14. Cod. eod. t. t. ff. qui satisfacere Cog. Gail. 2. obs. 47. n. 2. §. 4.* Et per pignora *l. 59. §. ult. ff. mand. Zoës, ff. usufr. quemadm. carv.* *Chling. in Apot. ad lib. 2. inst. de usufr. q. 10.* Concordat *Gül. und Berg. R. D. cap. 95. §. 1.* Dissent. *Hunn. lib. 2. var. resolut. J. C. tr. 2. q. 23. §. alii.* Non minus per juratoriam cautionem pulchrè *Harp. §. 2. instit. de usufr. n. 9. §. sq. Dehis. Myns. cent. 6. obs. 45. n. 4.* Videatur & *Gail. d. l. 2. obs. 47. n. 10.*

SPICA XVII.

Necessariò quidem præstanda est cautio, aut non antè quam petatur. (a)

(a) *L. 13. pr. §. 2. 3. l. 7. pr. l. 9. §. 1. l. 11. ff. usufr. quemadm. carv.* correspondet *Erh. Stift Colln. R. D. 1. 8. §. 3.* adeòque antè ejus exactionem fructuarius fructus præceptos non restituit. *l. 2. §. 1. quod Legat. L. si quis l. §. 1. ut in possess. Leg. serv. caus. Oldend. Class. 3. act. 6.* Æthiologias & explanationes invenies apud *Gail. l. 2. obs. 27. n. 5. §. obs. 46. n. 8. §. sq. Klock. 2. Conf. 118.*

SPICA XVIII.

Quandò usufructus proprius constitutus extat: Cavet fructuarius proprietario. (a) Et de utendo fruendo re boni viri arbitratu, (b) & de eadem re in specie restituenda. (c)

(a) *L. 1.*

(a) *L. 1. §. 1. ff. usufr. quemadm. cau.* Etiam aliis, quorum interest, de quibus Zoës, *ad d. t. ff. n. 2.* (b) *d. l. 1. pr. §. 3. 6. d. tit. tot.* (c) Si non meliore, saltem non deteriore Harp. *Inst. §. 2. n. 12. inst. de usufr.* Interdum autem inerit aestimatio, si ipsa res restitui non possit, Struv. *in Synt. J. C. Exerc. 12. th. 64.* Nota ad præmissa: quod cautio de utendo &c. boni viri &c. sæpius possit committi; cautio verò de restituenda re non nisi semel, Zoës. *d. l.* Struv. *d. l. th. 66.*

S P I C A XIX.

IN Usufructu improprio constituto cautio duntaxat præstatur de re eadem restituenda in genere, vel aestimatione. (a)

(a) Authore Justiniano §. 2. *Inst. de usufr. §. 1. C. in l. 6. §. 1. ff. de usufr. ear. rer.* plura apud Martam *tom. 5. ff. Novissim. tit. usufructuarius, cap. 2. §. 1. sqq.*

S P I C A XX.

Quantumvis autem cautio requiratur, non tamen est de essentia usufructus proprii. (a) An verò sit de substantia quasi usufructus Problema (b) est.

(a) Quia omitti potest, & in hoc plerique Interpp. conveniunt & ita tenet Gail. *2. obs. 46. n. 1.* Müller. *ad Struv. in Synt. J. C. Exercit. 12. th. 69. cum ibid. citat.* (b) *Affirmativa* videtur communis teste Gail. *cit. l. n. 3.* quem vide. *Negativam* probabiliorem judicat Harp. §. 2. *inst. de usufr.* cujus rationes decidendi, ut & resolut. ad contraria revid. *n. sqq.* Alii distinguunt aut quasi usufructus consideratur, ut primum *SCro* constitutus & introductus: aut in esse jam deductus est. Bachov. *ad Treutl. Vol. 1. disp. 16. th. 5. Lit. E.* Vid. cit. Müller. *cit. loc. th. 38. hac de re.*

S P I C A XXI.

Erotema: Num testator legans usufructum Cautionem possit remittere & Negative. (a)

(a) Cum Fachinæo *Lib. 8. controv. cap. 24.* in quocunque Usufructu ut scribit Gail. *2. obs. 145. n. 1.* qui & dicit communem. Ratio ne detur materia delinquendi item ratio est favor hæredis Joh. Köppen *Decis. 33. n. 9.* Aliter sentit Struv. *in Synt. J. C. Exercit. 12. th. 70.* cautionem, ut quis boni viri arbitr. &c. testamento remitti non posse, *ex dd. rationibus.* Cautionem verò de restituendo non quidem itidem rectè; existimat interim in vero usufructu remitti posse per testatorem, vid. *d. Struv. d. l. fusius.*

S P I C A XXII.

Effectus Ususfructus est, ut omne, quod res fert. sive sint fructus Naturales (a) tantum, sive cum industria (b) sive civiles (c) ad fructuarium pertineat.

(a) V. G. Poma, lana foetus &c. Excepto partu ancillae, nisi partus Ususfructus relictus fuerit *l. 68. ff. de usufr.* Exceptis non minus arboribus grandibus, sive non caeduis, nisi sylva sit caedua *l. 11. ff. d. t. usufr.* Harp. §. 2. *inst. n. 34. & seqq.* Zoëf. *ff. de usufr. n. 16. & seqq.* Uterq; ibi fuse. (b) ut fructus lapicidarum &c. *l. 9. §. 1. l. 10. ff. de usufr.* Aliqui circa ejusmodi distinguunt an renascantur vel non. *Castill. tr. de usufr. cap. 37. n. 18. in fin.* Ususfructum tamen dari pecuniae ex proventibus metallicis perceptae tenet *Berlich. p. 3. Concl. 35. n. 21. & seqq.* (c) Ut pensiones, redditus ex areis &c. *l. 7. §. 1. ff. de usufr.* quib. *Struv. in Synt. J. C. Exercit. 12. th. 16.* accenset jus venationum &c. cum hactenus dicantur in fructu esse, nisi prohibitio alicujus adsit. *Obstat L. venationem 26. ff. de usur.* R. Zoës, *d. l. n. 20.* cum exceptione. Item adnumerantur multa, poenae confiscationes bonorum, quae fructus jurisdictionis civiles, *Harp. d. l. n. 74. & seqq. per Dd. pragmaticos ibi adductos.*

S P I C A XXIII.

Non tantum ipse fructuarius fructibus utitur fruitur, sed & commoditatem percipiendi, alteri vendere, locare &c. potest (a) & quidem cuicumque (b) velit.

(a) *L. Arboribus 12. §. 2. & simul ff. de usufr.* & hac de re copiosissimè dissertat del *Castill. tr. de usufr. cap. 69. n. 15. seqq. & cap. 70. per totum, & Interpp. fere omnes.* Resistit *L. 13. infin. ff. quib. mod. usufr. amit.* R. bene *Sinolt sive Schütz Exercit. Jur. disp. 6. th. 23.* (b) In attento, quod concurrens fructuarius parile pretium, vel mercedem offerret. Tuetur hanc sententiam *d. Castill. d. l. cap. 74.* Oppon. *Vassalli & Emphytautae Domini hoc in casu gaudent jure promissos cap. §. Titius, tit. si de Feudo defuncti contentio & 7. L. ult. §. sed ne hac. Cod. de Jur. Emph.* Admodum perspicue diluit hoc & similia arg. *Carpz. Decis. Illust. par. 2. decis. 138. cum ibi allegatis.*

SPI-

SPICA XXIV.

Cum Naturale sit, ut is, qui commodum sentit, etiam sentiat incommoda. (a) Hinc omnem rei curam suscipere. (b) In super tributa (c) aliaque onera sive ordinaria sive extraordinaria solvere (d) tenetur.

- (a) *c. 55. de R. I. in 6.* (b) id est: rem custodire, reficere propriis impensis, non tamen nisi modicis videatur Harp. §. 2. *Instit. de usufr. n. 148. Et seqq. per jura Et authorit. ibi immodicas enim repetit. Damna avertere &c. vid. Struv & ad eund. Müller. in Synt. J. C. Exercit. 12. th. 23. Confer Guil. und Berg. R. D. cap. 95. §. im Fall x. & §. hinwiederum. Ord. Col. tit. 8. §. 3.* (c) *L. 7. ff. de usufr. etiam præterita l. 7. ff. de publican. Et Vectigal.* Ità tamen ut repetere possit, quod præteritorum onerum causa solvit, *d. Harp. d. l. n. 155. Et seqq.* (d) quo etiam pertinent sumptus in milites in hospitatos impendendi, nisi exsuperent fructus, *Struv. d. l. th. 24.* Sed Quæstio oritur hic an & ad æs alienum solvendum teneatur fructuarius &c. *Struv. Negativè & si sit omnium bonorum. d. l. & th. 24. nisi simul usufructus relictus cum annuis reditibus Müller. ad eund. d. l. th. 24.*

SPICA XXV.

Morte Naturali (a) usufructuarii (b) extinguuntur usumfructum, & eundem Civitati &c. relictum exspirare centum annis (c) tenendum est.

- (a) § *finitur inst. de usufr. l. 3. §. ult. ff. quib. mod. usufr. vel ns. amitt. l. 3. 10. 16. Cod. de usufr. Pichard. ad inst. tit. de usufr. d. §. finitur.* Concordat *Ord. Jul. Et Mont. cap. 95. §. und nachdem &c. ratio est in L. 1. ff. de servitut. L. 196. ff. de R. J. Dd. omnes.* Undè nec ad Hæredes transit. *Müller. ad Struv. in Synt. J. C. Exercit. 12. th. 33. per l. 12. Cod. de usufr.* Nisi eorum mentio facta, quo casu tamen non nisi primi gradus veniunt. *Ut decidit Imp. in L. Antiquitas 14. Cod. de usufr. Schneidewin. ad §. 3. Inst. de usufr. Zoës. in Comm. ff. eod. tit. n. 2. Dd. communiter aliud est, si nominatenus concederetur V. G. Titio, ejus filiis, & nepotibus, Sam. Stryck. in Annotat. ad Lauterb. Comp. ff. tit. quib. mod. usufr. amitt.* Extinguitur & ita, ut hæredes nec fructus etiam maturos percipiant. *Pulchrè Zoës. d. l. n. 7. Munnoz. de Escobar. de Ratiocin. com. 19. cap. 19. n. 5.* (b) Illud singulare est quod
D usus

ususfructus constitutus filio, per ejusdem obitum, sicut nec contra per obitum patris extinguitur, *l. ult. cod. de usufruct.* In danda ejus rei Æthiologia non conveniunt Dd. sic aliam dat Zoës. *d. l. n. 5.* Castill. *tr. de usufruct. cap. 63. n. 6.* Mantic. de conjectur. ultim. volunt, *Lib. 8. tit. 16. n. 4.* qui volunt quod magis contemplatione Filii: Aliam dat. Hug Donell. *lib. 10. cap. 17.* quod patris & Filii in tuitu censeatur servitus constituta. Alii quod Neutrius gratia. Sed quoad posterius respondentem videas Chling. *in apot. Coll. J. C. ad lib. 2. inst. de usufr. q. 15. (c) L. 56. ff. de usufr. l. 8. ff. de usufr. leg. Treut. v. 2. disp. 16. th. 15. lit. A. cum citat. ibi.* Pichard. *d. l. n. 7.* & alii nisi contigerit antè civitatem aratrum pati, id est civitas esse desinat. Sinold sive Schults *Exercit. jur. ad inst. disp. 6. th. 22. lit. C.* Non procedunt dicta in relictis annuis legatis Collegio de quare fit remissio ad Harp. *d. l. §. 3. n. 7. 8. & 9. per jura & author. ibid.*

S P I C A XXVI.

MOrte civili (a) Quin & Ususfructus amittatur, am-
bingendum haudest.

(a) Maximâ & mediâ capitis diminutione §. 3. *inst. de usufr.* Banno hodiè Stamm. *de servit. person. lib. 1. tit. 3. cap. 4.* cum annexa bonorum publicatione Gail. *lib. 2. de P. P. c. 1. n. 24.* Carpz. *pr. Crim. p. 3. q. 14. n. 26.* etiam subsequatâ fustigatione cum perpetua relegatione & infamia Stryck. *ad comp. ff. Laut. tit. quib. mod. usufr. amit.* verb. Banno. olim & minimâ cap. dimin. secus hodiè *L. corruptione §. ult. Cod. quib. mod. usufr. amitt.* renascitur autem si testator præcaverit, eâ in attentâ denovo debere competere *lic. 5. pr. ff. quib. mod. usufr. amit. l. 23. ff. de usufr. & us. leg.* Reviviscit quoque per restitutionem Principis. Vid Gail. *lib. 2. d. tr. de P. P. cap. 16. n. 4. & cap. 1.* Harp. *cit. l. n. 14. per jura aducta Zoës. de sent. pass. & restit. ff. n. 6. fusè & enucleatè utri & alios ad quos fit remissio.*

S P I C A XXVII.

Monachum Civiliter mortuum non (a) esse, Undè nec Patrem Monasterium ingressum in bonis adventitius filiorum Ususfructum amittere dicimus. (b)

(a) cum

- (a) Cum Schneidew. §. *fin inst. de usufr.* Harp. §. 3. *inst. d. t. n. 17.* Zoës. *ad decr. tit. de regularib. n. 28.* & pluribus aliis
 (b) Cum præcitis, attentâ tamen distinctione quam adhibet Chling. *in Apot. J.C. ad lib. 2. instit. de usufruct. q. 16.*
 Dissent. Fachinæ. *lib. 6. controu. cap. 12.*

S P I C A XXVIII.

Finitur & usufructus per consolidationem, (a) tum à proprietario, tum fructuario factam. Extraneo cessione juris facta ab usufructuario nihil (b) agitur.

- (a) §. 3. *Inst. de usufr. l. 66. ff. de jur. dot.* Æthiologia habetur in *l. 26. ff. de Servit.* Sic & si pater filio usumfructum bonorum advent. cedat *l. 6. §. 2. vers. sin autem. Cod. de bon. qua Liber.* Obstat. *L. donationes quas parentes Cod. de Donat. inter Vir. & uxor.* R. Chling. *in Apot. J.C. ad lib. 2. inst. tit. de usufr. q. 15.* (b) Digladiantur inter se Dd. an per cessionem à fructuario in extraneum factam, usufructus ad proprietatem revertatur. Affirmant vetustiores plures quos ad longum recenset Harpr. *ad §. 3. inst. de usufr. n. 39.* Et recentiores quidam Schamb. *d. §. 3. Hopp. in Comm. ibid. Verb. cedendo Extraneo Chling. d. l. q. 18.* Stryck. *ad Lauterb. Comp. ff. Verbo extraneo tit. quib. mod. usufr. amit. Kulpis. dissert. de Consolidat. th. 25.* fundamentum ponunt in *d. l. 66. ff. de jur. dot.* Negant alii Harp. *d. l. n. 40.* Del Castillo Sotomayor *tr. de usufr. cap. 39. n. 22.* Wefenb. *in parat. ff. quib. mod. usufr. vel us. amit. Bronchorst. cent. 1. assert. 91.* Zoës. *ff. d. t. quib. mod. & c. per jura citata. & plures alii.*

S P I C A XXIX.

Amittitur etiam usufructus non utendo omninò, (a) aut per modum (b) & tempus. (c)

- (a) *L. p. in pr. Cod. de usufr.* neque per nos neque per alios. vid. Zoës. *ff. quib. mod. usufr. amit. n. 16. & sq.* (b) sive conventionem arg. *l. 10. §. 1. l. 11. quemadm. servit. amit. l. 2. de aq. quot.* sive Lege, arg. *lib. 9. §. fin. ff. de damn. infect. auth. qui rem Cod. de ff. Eccles. præscriptum hoc casu etiam disperit, pro parte Zoës. d. l. n. 19.* Struv. *in Synt. J.C. Exercit. 12. th. 34.* (c) Scil. Decennium inter præsent. & Vicenn. inter absent. *d. L. corruptio p. cod. d. t. L. sicut 13. cod. de servit.*

SPICA XXX.

EXtinguitur denique ususfructus totius (a) rei interitu, & Mutatione. (b)

(a) §. *finitur*. 3. *inst. de usufr. l. 2. ff. eod.* est enim jus circa corpus, quo sublato &c. *pr. inst. d. t. nec redintegratur re etiam restitutâ. l. 10. §. pen. ff. quib. mod. usufr. amit.* nisi pristina forma redierit, ut eadem res sit. Aut eo animo destructa res, ut ex iisdem rebus reficiatur. v. g. in Area, Navi Zoës, *ff. d. t. quib. mod. &c.* (b) Si rei forma fuerit mutata, ex qua res subsistebat. V. g. si ex vinea pratum. *t. t. ff. quib. mod. usufr. amit.* Videtis Harp. §. 3. *inst. de usufr. 49. & sqq.* ubi exempla plura ex LL. adducit, & ad contraria respondet. Nota, quod hac in re interfit: an substantiæ omnis ususfructus sit relictus, an rerum singularum, quo posteriori casu procedunt dicta, *per L. quoties 34. §. 1. ff. de usufr.* non priori.

SPICA XXXI.

USus est jus (a) Alienis rebus Utendi (b) Salvâ rerum substantiâ (c)

(a) Confer *spic. 3. supra.* (b) Tantum ad necessitatem, non voluptatem §. 1. *Inst. de usu & habit. lit. 1. l. 19. l. 21. ff. eod.* (c) *t. tit. d. Inst. & ff.*

SPICA XXXII.

USus alius est verus sive proprius, (a) Alius quasi sive improprius. (b) & constituitur per ultimam voluntatem (c) Per Actus inter vivos (d) Per præscriptionem (e) & ex Officio judicis, & jure accrescendi. (f)

(a) *Arg. §. 2. Inst. de usufr. in re non consumptibili Müller. ad Struv. in Synt. J. C. Exercit. 12. th. 55.* qui iterum vel *regularis vel irregularis cum subdivisione Regularis in plenum & minus plenum d. Müll. d. l.* (b) in rebus consumptibilibus. *Gloss. in l. 1. ff. de us. & habit. lit. f. Schneid. Instit. de usu & habit. n. 6. cautione præviè præstitâ arg. §. 2. Inst. de usufr. l. 7. ff. de usufr. ear. rer.* (c) *l. 3. l. 6. ff. de usufr.* (d) *d. l. 3. Vinn. ad §. fin. Inst. de*

de servit. præd. (e) l. 2. Cod. de servit. leg. fin. cod. de long. temp. præser. Müller, d. l. th. 56. ubi plura (f) vid. Schamb. pr. Inst. de usu & habit. An ex Officio judicis, est difficultas, sed placet defendere.

SPICA XXXIII.

Non potest Usuarius usum rei alteri locare. (a) An ad refectionem rei teneatur R. affirmative si res talis sit, cujus extra usum nullus sit fructus. (b)

(a) §. 1. 2. 3. *Instit. de usufr. & habit. L. 11. ff. cod. nisi voluisse hoc constituentem colligi possit, &c. Struv. in Synt. J. C. Exerc. 12. th. 58.* (b) *L. 18. ff. d. t. de us. & habit. vid. d. Struv. d. l. th. 59.*

SPICA XXXIV.

Finitur Usus iisdem modis (a) quibus Ususfructus.

(a) Confer *Spicam 3. supra de Amissione Ususfructus.*

SPICA XXXV.

Habitatio est jus inhabitandi in domo aliena, salva ejus substantia. (a)

(a) §. 5. *Inst. de usufr. & habitat. differt ab usufructu ædium, & etiam ab usu ædium. Struv. in Synt. J. C. Exercit. 12. th. 61. Harp. ad d. §. 5. inst. n. 13.*

SPICA XXXVI.

Non per non Usum (a) nec capitis diminutione (b) Habitatio finitur. Sed morte ejus, cui concessa. (c)

E

(a) *L. 10*

(a) L. 10. pr. ff. de us. & habitat. (b) d. l. 10. & L. 10. de capit. minut. (c) d. L. 10. de us. & Habit.

S P I C A XXXVII.

Quandò quis omnem Utilitatem ex operis alieni servi percipit (a) servitutem personalem habet constitutam (b) quæ verò nec morte istius, cui debetur, nec capitis diminutione (c) perit, sed servo usucapto. (d)

(a) L. 1. & sqq. ff. de oper. serv. (b) Dissent. Harp. pr. instit. de usufr. n. 5. & sq. ubi & sustinet operas servorum nec etiam esse servitutes reales. (c) L. 2. ff. de Oper. servor. L. 2. ff. de usufr. Leg. (d) d. L. 2. de usufr. leg.



S P I C A XXXVIII.

(a) L. 10